




UNIVERSITY OF MICHIGAN

QUAESTIONES CRITICAE
AD
DIRAS ET LYDIAM
PERTINENTES.

COMMENTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT


JOANNES PETRY
RHENANUS.

MONASTERII MDCCCXCV.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCV.



PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.



PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Praefatio.

„Diese Reliquien („Dirae et Lydia") werden also fernerhin einen Platz unter jenen hoffnungslosen Problemen behalten, an welche die Philologen Ehrenhalber gute Zeit und Kraft zu verschwenden pflegen. Es steht aber um Verständniss und Herstellung des Textes, auch wenn man die gewohnten kritischen Heilmittel, Umstellungen, Lücken und andere herbeizieht, schlimmer als Ribbeck zugeben will. Append. V, pag. 50".

In haec Bernhardyi[1]) verba, cum fortuito incidissem, carminis accuratius inspiciendi cupiditas me cepit, ut diiudicarem, quo iure Bernhardyus dura illa verba scripsisset. Concedendum sane puto ex his quae inveni, multa et in Dirarum et in Lydiae versibus, ut apud omnes fere scriptores, per saeculorum cursum interpolationibus esse corrupta, sed maxima ex parte viri illius docti iudicium editorum rationi attribuendum esse mihi persuasi, qui omnia manca et imperfecta esse obliti, si quid minus eleganter dictum est aut ab usitato modo paulo recedit, ad coniecturas confugiunt.

Quod ut appareat, illorum carminum locos difficiliores hac commentatione breviter retractare mihi liceat.

Carminum editiones hae in promptu mihi fuerunt:

I. Valerii Catonis carmina Editio Putschiana repetita cum notis Putschii et Wernsdorfii omnibus. Cura Joh. A. Gilles. Londini 1838.

[1]) Bernhardy, Grundriss der röm. Litteratur, p. 636.

II. Carmina Valerii Catonis cum Augusti Ferdinandi Naekii annotationibus. Accedunt eiusdem Naekii de Virgilii libello iuvenalis ludi, de Valerio Catone eiusque vita et poesi, de libris tam scriptis quam editis, qui carmina Catonis continent, dissertationes IV. Cura Ludovici Schopeni. Bonnae MDCCCXLVII.

III. Appendix Vergiliana Recensuit et prolegomenis instruxit Otto Ribbeck (p. 167—178) Lipsiae MDCCCLXVIII.

IV. Poetae Latini minores Recensuit et emendavit Aemilius Baehrens Volumen II (p. 73—83) Lipsiae MDCCCLXXX.

Praeterea respicienda mihi erat commentatio quam scripsit Rothsteinius „*de Diris et Lydia carminibus*“ in Hermae tom. 23. (1888) pag. 508—524.

Putschius et Naekius in carminibus explicandis praecipuam collocaverunt operam. Ribbeckius et novissime Baehrensius criticas paraverunt editiones.

Sed in versibus ipsis scribendis imprimis Baehrensii magnam audaciam improbandam esse, eis quae sequuntur, demonstrare mihi proposui.

Dirae.

v. v. 7—8.

„*Et conversa retro rerum discordia gliscet*
Multa prius fient quam non mea libera avena.“

Hanc omnium codicum scripturam Putschius post vocem „*prius*“ comma ponens in verborum contextum recepit. Verba „*multa prius*“ enim ad versum antecedentem referenda esse ratus totum locum ita interpretatur: „*Universa rerum natura sese convertet multa prius, id est multo prius. Mea est neutrum pluralis, intellege rura; avena est ablativus, et uti saepe, ipsum carmen significat. Itaque sensus hic est: haedi rapient lupos etc.; priusquam mea (rura) non libera fient carmine (imprecatorio)*“.

Sed talis interpretatio perversa est. Nam verba „*multa*

prius" non idem significare possunt atque „*multo prius*", cum neutrum pluralis nusquam usurpetur pro adverbio „*multo*", sed tantum pro „*multum*" et id quidem raro. Illud autem „*mea*" positum esse pro „*mea rura*" nullo alio exemplo probari potest.

Naekius post „*gliscet*" comma ponens versum 8 ita interpungit atque legit:

„*Multa prius, fuerit quam non mea libera avena*"

id est, multa prius „*erunt*", vel „*fuerint*". Quam explicandi rationem defendit doctissimus ille vir his verbis: „*Si enim „est" supplendum est innumeris locis, et „fuit", nulla excogitabitur causa, cur non alibi futurum suppleri potuerit et quodvis aliud tempus aut modus. Hoc tantum curavere scriptores, ut appareat ex nexu sententiarum, quod esset supplendum tempus, aut qui modus*". Sane ad verba „*multa prius*" facile „*erunt*" vel „*fuerint*" suppleri possunt. Quod autem ad illud „*fuerit*" attinet, iam Putschius recte exposuit, in comparationibus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου futurum exactum non poni solere a poetis in secundo comparationis membro, sed futurum simplex tantum et praesens coniunctivi. Quod quamquam Naekius concedit, tamen illud „*fuerit*" apud Catonem non tollendum esse iudicat.

Baehrensius Heinsii coniecturam secutus pro „*multa*" scripsit „*cuncta*", quae lectio probabilem quidem sententiam efficit sed traditae scripturae dissimillima est.

Multo magis a codicibus recedit, quod Rothsteinius sententiae fere satisfacere putat:

„*Muta prius fies quam tu, mea libera avena*",

Accedit quod in hac lectione pronomen „*tu*" vi quadam positum post verbum „*fies*", cuius subiectum „*tu*" est, defendi vix potest.

Meo iudicio iamdudum Ribbeckius recte cognovit codicum lectionem, quae bonam sententiam praebeat, esse genuinam. Neutrum pluralis „*multa*" hoc loco positum est pro „*multa alia*" ut „*multi*" pro „*multi alii*". Suet. Caes. 50: „*Nam certe Pompeio et a Curionibus patre et filio et a multis exprobratum est*".

Poeta postquam versibus qui praecedunt exempla quaedam proposuit, generali sententia versu 7 totam affirmationem comprehendit. Sententia igitur huius loci est: „*Und rückwärts gewendet wird die Zwietracht der Dinge anwachsen — noch vieles andere wird eher geschehen, als dass mein Lied nicht frei sein wird d. h. als dass ich nicht singen kann, was ich will*".

Verbum enuntiationis „*quam non mea libera avena*" facile repetitur ex praecedenti „*fient*".

v. v. 26—31.

„*Lusibus et multum nostris cantata libellis*
Optima silvarum, formosis densa viretis,
Tum flebis virides umbras nec laeta comantis
Jactabis mollis ramos inflantibus auris,
(Hoc mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen)
Militis impia cum succedet dextera ferro
Formosaeque cadent umbrae, formosior illis
Ipsa cades, veteris domini felicia ligna."

Sic versus legendos propono. Pro „*lusibus*" omnes codices unanimi consensu exhibent „*ludimus*", quam scripturam Naekius unus ex omnibus editoribus in verborum contextum recepit. Nihil enim corruptum esse ratus traditam lectionem his verbis defendit: „*Observandus tantum usus „et" particulae, quae hic non cognata, sed contraria coniungit, vel potius inter se opponit. Quae mihi magna simplicitas et in simplicitate gravitas esse videtur. Ludimus h. e. versus facimus, et tu, o silva, spoliaberis ac peribis. Quasi dicat: intempestivum est, quod ludo, cum silva illa mea peritura sit.*"

Sane verbum „*ludere*" saepe refertur ad studia praesertim poetica, sed omnibus quos inveni locos semper de levioribus dicitur et quae animi causa iocique ineuntur. Cfr. Catull. 50,4. Verg. Eclog. I, 10. Georg. II, 386. IV 565. Cul. 1. Ovid. Trist. II, 491. Mart. VII, 8, 1.

A poeta autem „*Diras*" dici non potuisse „*lusum*" ex

toto carmine apparet, in quo magnus animi affectus magnaque poetae acerbitas cernitur. Itaque editores recentiores optimo iure Silligii et Putschii coniecturam „*lusibus*" receperunt.

In versu 28 libri et manu et typis scripti inter se dissentiunt. Codices B[1]) et M praebent „*tondemus*", HPT exhibent „*tundemus*". Scriptura „*tundemus*" per se omnino sententia caret, sed ne lectio „*tondemus*" quidem vera esse potest, quod poeta ipse non tondebat silvam neque tonsurus erat, sed is qui poetam agello paterno privavit. Itaque Putschius scripsit „*tonderis*", quae coniectura ad sententiarum ordinem, qui futurum tempus poscit, apta non est.

Naekius et Ribbeckius coniecturam Gronovii „*tondebis*" receperunt. Quam ad mutationem Naekius haec adnotat: „*Tondebis h. e. tondeberis: ut Candidior postquam tondenti barba cadebat, Virg. Ecl. I, 29. Tondere pro tonderi, potestate verbi Graecorum medii, satis usitate dicitur*". Sed haec explicatio falsa est meo iudicio. Nam silva ipsa non iubebit, sed patietur tonderi, eis autem locis omnibus ubi activum tondendi verbi reperitur pro medio, subest notio iubendi. Accedit quod omnino verbum tondendi, cum versus 32 idem fere exprimat, in suspicionem vocandum est.

Quod recte cognovit Baehrensius, cum pro „*tondebis virides umbras*" coniiceret „*non duces virides umbras*" Germanice: „*Nicht wirst du grüne Schatten ziehen (werfen)*" sive: „*nicht wirst du grüne Blätter hervorbringen*". Verba „*ducere umbras*" minime Latina sunt. Nam id quod nostro sermone appellamus „*Schatten werfen*" latine exprimitur „*umbram facere*" vel „*diffundere*" ut:

Petron. 131:

„*Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras*"

Verg. Georg. II, 58:

„*Jam quae seminibus iactis se sustulit arbos,*
Tarda venit seris factura nepotibus umbram."

---

[1]) Brevitatis causa in codd. denotandis semper Baehrensii siglis utar.

Et cum verbum *„ducere“* significet *„hervorbringen“* semper usurpatur de iis, quae manu, non quae natura proferuntur.

Sed nullum exemplum me repperisse fateor quo vox *„umbras ducere“* probetur. Praeterea illa Baehrensii mutatione omne traditae lectionis vestigium tollitur.

Rothsteinius codicum quidem scriptura servata *(„tundemus“)* inter versus 26 et 27 unum interponit atque totum locum ita legit:

„Lusibus et multum nostris cantata libellis
Optima silvarum, formosis densa viretis,
Non iam vere tuas alternis ictibus herbas
Tundemus virides, umbras nec laeta comantis
Jactabis mollis ramos inflantibus auris.“

Virorum enim doctorum communem errorem eum fuisse censet Rothsteinius, ut inde a verbis *„nec laeta comantis“* novam sententiam incipere crederent, quam a verbo *„umbras“* initium capere existimat, copula non primo loco posita. Nam neque umbrarum mentionem a ramorum iactatione recte divelli neque ferri posse duo adiectiva, *„comantis“* et *„mollis“*, ad idem substantivum eadem ratione pertinentia, praesertim cum hanc ubertatem in sequentibus verbis *„inflantibus auris“* non magis toleranda exilitas exciperet. Contra elegantissime a poeta orationem formatam et epitheta disposita esse, si hoc voluisset: Neque laeta iactabis umbras comantis auris mollis ramos inflantibus. Quae restarent verba *„tundemus virides“* nullam per se habere sententiam neque coniectura ita ut haberet aliquam mutari posse, sed fortasse partem sententiae esse, cuius initium uno versu amisso periisset. Umbrae enim sub aurae flatu commemorationem in memoriam revocare feriarum rusticarum descriptiones, quas dedissent Tibullus (II, 5, 95 sq.) et Lucretius (V 1390 sq.), qui saltationis in eadem re mentionem facerent. Jam cum *„quatere, pellere, pulsare terram“* de saltatione poetae dicerent, et Horatius in re simili (A. p. 430) *„saliet, tundet pede terram“*, hic quoque de rustica saltatione

egisse poetam veri eo similius esse quod formosa illius silvae vireta eo versu qui antecedat, commemorentur.

Versus quem Rothsteinius interponit et de quo tam multa verba facit, magis critici menti et cogitationi quam poetae sententiae respondet. Nihil offensionis habere quod poeta huius carminis duo epitheta (*„comantes“* et *„molles“*) ramis adicit, versus 92 testatur:

„Mollia non iterum carpetis pabula nota“.

Praeterea quam Rothsteinius proposuit interpositio non veri similis mihi videtur esse eam ob causam, quod tali scribendi ratione verba *„virides umbras“*, quae poetae saepius coniungere solent ut:

Verg. Ecl. IX 20:

„. . . . quis humum florentibus herbis
Spargeret aut viridi fontes induceret umbra?“

Cir. 4:

„Florentis viridi sophiae complectitur umbra“

Valer. Flacc. III, 708:

„Quae neque iam frondes virides nec proferet umbras“

divelluntur. Accedit quod eam verborum coniunctionem (*„comantis umbras“*) in qua et substantivum et adiectivum translate posita sint, et ita quidem ut duae diversae imagines in unum confundantur, num poeta Romanus unquam adhibuerit, magnopere dubito.

Cum igitur omnium, quibus viri docti usi sunt, remediorum nullum loco sanitatem attulit, aliud quaerere mihi visum est. Equidem, ut supra feci, pro *„tundemus virides umbras“* legendum propono *„tum flebis virides umbras“* Quam coniecturam et verborum et sententiarum conexui satisfacere persuasum habeo. Vox *„flebis“* respondet aptissime verbis *„nec laeta iactabis“*, et illud *„tum“* pertinet ad coniunctionem *„cum“*, quae in versu 31 sequitur. *„Umbrae“* positae sunt pro frondibus et ramis umbram diffundentibus ut Verg. Georg. I 157:

„Falce premes umbram votisque vocaveris imbrem“.

vv. 40—41.

„Cum tua cyaneo resplendens aethere silva
Non iterum dicet, crebro quae Lydia dixti“.

In versu 41 tradendo magna codicum dissensio est. Cum enim Monacenses hunc versum ita praebeant:

„Non iterum dicens crebro tua lidia dixi“

Bembinus pro *„crebro“* exhibet *„erebro“*, Thuaneus *„erebo“*, Pithoeanus *„erobo“*, Helmstadiensis *„herebo“*. Pro *„dixi“* in libris manuscriptis HPT exstat *„dixti“*, in B *„dixit“*. In codicibus deterioribus littera ς signatis versum ita scriptum invenimus:

„Noscet iter ducens Erebo tua Lydia Ditis“

Hanc codicum deteriorum lectionem Naekius et Ribbeckius receperunt. Naekius, qui illud *„tua“* commatis intercludit, totum locum ita interpretatur: *„cum tua silva, tua, o Lydia, quae nunc aethere resplendet cyaneo, noscet iter ducens Erebo Ditis“*.

Haec sententia a veterum mente et cogitatione abhorret qui nunquam inanimatas res in Orcum sive "Αιδην abire dicebant. Omnino verba *„silva noscet iter ducens Erebo Ditis“* nimis quaesita et ambigua et ex coniectura librarii cuiusdam profecta esse videntur.

Quod recte cognovit Baehrensius, qui meliores codices magnam in partem secutus versum 41 ita scripsit:

„Non iterum audibit, crebro quae, Lydia, dixti“.

Sed illud priscum *„audibit“*, quod cum adverbio *„iterum“* elisionem efficit, magnopere mihi displicet, praesertim cum traditae lectioni (*„dicens“* vel *„ducens“*) coniectura dissimillima sit.

Rothsteinius nihil aliud mutandum esse censet quam *„dicens“* in *„dices“*, periisse autem una cum fine praecedentis enuntiati partem sententiae, qua dixisset fere poeta: Conflagrabitur silva, in qua mihi verba amoris plena, quae nunc

„non iterum dices, crebro tua, Lydia, dixti“,

Sane hoc modo tradita scriptura retineri potest, sed meo

iudicio locum facili mutatione sanare melius est quam lacuna statuta. Itaque legendum propono:

„*Non iterum dicet, crebro quae Lydia dixti*".

Germanice: *wenn er (der Wald) nicht wieder sagen i. e. wiede - tönen wird, was du, Lydia, häufig gesungen hast*". De voce repercussa hoc loco agi iam antiquis temporibus suspicio fuit cfr. Naekii p. 74. Coniecturam „*dicet*" pro „*dicens*" facillima esse iudices, si „*dicens*" in codice, unde vitium in ceteros libros transierit, per abbreviationem „*dicẽs*" scriptam esse statueris.

vv. 42—44.

„*Vicinae flammae rapiant ex ordine vites*
Pascantur segetes diffusis ignibus aurae
Transvolet arboribus coniungat et arbor aristas."

Pro „*vicinae*", quam omnium codicum scripturam editores recentiores in verborum contextum recipere non dubitaverunt, Rothsteinius Gronovii et Heinsii coniecturam „*vicinas*" ponere vult. Nam silvae incendium optare poetam dicit, ut etiam vicinas vites corripiat.

Sed enallages figuram hoc loco a poeta adhibitam esse persuasum habeo. Nam vites non solum propinquae sunt flammis, sed etiam flammae vitibus.

In versibus qui sequuntur interpretandis editores inter se discrepant. Putschius pro tradita lectione „*aurae*" ponens „*aura*" et pro „*arbor*" „*ardor*", quae docti Itali scriptura est, totum locum ita interpungit:

„*Pascantur segetes, diffusis ignibus aura*
Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas".

Qua in interpunctione non liquet, quo modo continuum fiat incendium, cum primo segetes pascantur i. e. flammis consumantur et tum ardor aristas, quae iam incendio delentur, arboribus coniungat.

Eodem vitio laborat distinguendi ratio Naekii, qui post „*segetes*" tantum et „*transvolet*" commata ponit.

Ribbeckius et Baehrensius pro „*aura*“ Heinsii coniecturam „*auras*“ receperunt. Quomodo autem doctissimi illi viri enuntiatum „*diffusis ignibus auras transvolet*“ interpretari velint, intellegere non possum. Nam subiectum illius enuntiationis omnino deest neque ex sententiarum conexu repeti potest.

Equidem nihil hoc loco mutandum esse censeo, quam „*arbor*“ in „*ardor*“, quod vocabulum *(„arbor“)*, ardoris illi substantivo simillimum, librarii, cuius in memoria vox „*arboribus*“ modo scripta haeserit, socordia exortum esse satis est verisimile.

Tum ut verus rerum tenor exsistat, ordine versuum 42—43 inverso totum locum ita lego:

„Vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
Transvolet arboribus coniungat et ardor aristas,
Pascantur segetes diffusis ignibus aurae“

Vernaculo sermone: „*Die benachbarten Flammen sollen die Weinstöcke der Reihe nach ergreifen, hinüberfliegen soll das Feuer von den Bäumen und ihnen die Aehren verbinden, verzehrt werden sollen die Saaten durch die ausgebreiteten Gluten der Luft*“.

Arbores positae sunt pro vitibus cfr. Colum. 3, 1: „*Ex surculo vel arbor procedit, ut olea, vel frutex, ut palma campestris; vel tertium quiddam, quod nec arborem nec fruticem proprie dixerim, ut est vitis*“.

Plin. 14, 1, 2: „*Vites iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur*“.

Ulp. Dig. 47, 7, 3: „*Vitem arboris appellatione contineri plerique veterum existimaverunt*“.

Lydia.

v. 3.

Versum 3 omnes codices consentientes ita scriptum exhibent:

„*Est vobis tacite nostrum suspirat amorem*“.

Qua in lectione acquiescere Naekius non dubitavit hac versuum interpunctione adhibita:

„Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis: tacite nostrum suspirat amorem“.

Quo modo haec verba explicari velit, his exponit: . . *„est vobis significat: vestra est. Vestra, quia absum. Quo enim tempore ipse in agris erat Cato, Lydia ipsius erat“.*

Haec quidem sententia per se sane satis apta est, sed enuntiatorum conexus ab editore ratio habita non est. Sequuntur enim verba:

. . *„tacite nostrum suspirat amorem“.*

Quo modo haec enuntiatio cum praecedenti apte cohaereat, mihi plane obscurum est. Equidem vocabulum *„est“* vitio premi coniecturamque opus esse Heinsio concedo. Heinsius coniecit *„in (vobis)“* quam scripturam Ribbeckius Baehrensiusque in verborum contextum receperunt. Sed haec coniectura nimis a codicibus abhorret, quam ut eam probare possim. Mihi *„ex (vobis)“* scribere visum est. Quae mutatio facillima effici potest, cum littera *„x“* neglegenter scripta simillima sit litteris *„st“*, praesertim cum in codicibus consonans *„t“* paulo tantum super lineam duci soleat (cfr. *„x“* et *„ꭍτ“*). Lego igitur:

„ . . mea quod formosa puella
Ex vobis tacite nostrum suspirat amorem“

Germanice: *„Weil mein schönes Mädchen aus eurer Mitte (von euch her) sich im Stillen nach meiner Liebe sehnt“.*

Praepositio *„ex“* saepius locum significat, unde motus oritur, quod ad sententiam spectat, talibus locis idem fere valet ac praepositio *„in“*.

vv. 6—7.

In versibus 6—7 omnes libri manuscripti habent:

„Et mea submissa meditatur carmina voce
Cantat et interea mihi quae cantabat in aurem“

et recte quidem meo iudicio.

Priusquam coniecturarum quibus Ribbeckius et Baehrensius usi sunt, mentionem faciam, quo modo ego verba in libris tradita explicari velim, breviter exponam.

Quaeritur imprimis qua ratione adverbium „*interea*", in quo viri illi docti haeserunt, interpretandum sit. Cui vocabulo eandem hic significationem inesse puto ac voci „*interdum*".

Qui usus etiamsi rarissimis exemplis confirmatur, cfr. Sil. VII 395:

„*Interea — crede experto, non fallimus — aegris*
Nil movisse salus rebus"

— ubi ex interpretis arbitrio pendet, quam potestatem adverbio „*interea*" tribuat, cum verba „*aegris rebus*" generaliter dicta esse possint, (interea = bisweilen) quod mihi propter illud „*crede experto, non fallimus*" veri simillimum videtur, aut ad res angustas Romanorum pertineant (interea = inzwischen) — tamen vox „*interim*", quae eandem fere vim habet atque „*interea*", compluribus locis pro „*interdum*" usurpata est. cfr. Quint. I 2, 4: „*corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim, sed domi quoque*". Quint. I, 3, 3: „*error tamen est in re duplex: unus quod interim sufficere illos minores existimant*". Quint. IX, 3, 27: „*ut in cibis interim acor ipse iucundus est*". Seneca consol. ad. Marc. II, 1: „*mutari hunc interim morem expedit*".

Quominus explicationem vocabuli „*interea*" quam Naekius proposuit (= dum absum) probemus, praeterquam quod a Ribbeckio causae ad carminis confecti tempus spectantes contra eam allatae sunt, etiam eo prohibemur, quod illa sententia, quam Naekius adverbio „*interea*" tribuit, vix in hoc verborum conexu concedenda est, cum iam ex primis versibus Lydiam poeta absente canere appareat.

Ego totum locum ita Germanice vertam: „*Und sie übt mit leiser Stimme meine Lieder ein und singt bisweilen, was sie mir ins Ohr zu singen pflegte*".

Lydia nova carmina poetae submissa voce meditatur et interdum notum carmen, quod poeta praesente saepius iam

cecinerat, cantat. Quam explicationem cum verborum, tum enuntiatorum conexui plane satisfacere persuasum habeo.

Reliquum est ut coniecturas, quas Ribbeckium et Baehrensium adhibuisse supra dixi, commemorem. Ribbeckius pro „*interea*“ „*inter vos*“ scribit, quae lectio quamquam bonam sententiam praebet tamen reicienda est, quoniam mutatione opus non videtur. Minore felicitate usus est Baehrensius, qui coniecit:

„*Cantat et hinc teneram mihi quae cantabat in aurem*“.

Sed quid est illud: „*Cantat et hinc, sie singt von hier*“? Poeta agros alloquitur et semper pronomine personae secundae utitur. „*Hinc*“ autem est pronominis primae personae adverbium. De quo agimus loco igitur exspectatur „*istinc*“. Illud autem „*teneram . . . in aurem*“ ineptum et ridiculum fere est. Nam quis poeta tam mollis putandus est, ut suam ipsius aurem „*teneram*“ dicat? Credo Baehrensio in hac coniectura in mentem venisse illud Martial. V, 63, 3:

„*dominae teneram qui garrit in aurem*“

eumque oblitum esse a Martiale adiectivum de feminae aure usurpatum esse.

v. 9.

In versu 9, ubi Baehrensium adverbium „*multum(que)*“ cum voce „*nimium*“ coniunctum offendit, nulla mutatione opus esse censeo. Nam adiectivo „*beati*“ Germanice „*glückselig*“, cum per se iam maiorem felicitatem significet quam illud „*fortunati*“ Germanice „*glücklich*“ adverbium „*multum*“ plane satisfacit.

vv. 39—41.

Versus 39—41 Monacenses ita scriptos exhibent:

„*Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum*
Inque vicem Phoebus currens atque aureus orbis
Luna tuus tecum est cur non est et mea mecum“.

Pro „*Phoebus*“ in codice „*P*“ „*phaebe*“, in „*T*“ „*phębe*“, in „*B*“ et „*H*“ „*phoebe*“ traditum est.

Lectionem „*Phoebe*“ in verborum contextum recipere

Naekius non dubitavit, sed iniuria, cum versus 40 bonam sententiam non praebeat. Quo modo Naekius haec verba explicari velit, his exponit: „*Phoebe atque aureus orbis luna est h. e. corpus caeleste, quod conspicitur oculis mortalium. Deinde Lunam deam alloquitur: eo tempore tuus, o Luna, tecum est: cur ergo mea non est mecum?*“ Sed Naekius ipse intellegit hanc explicationem obscuram atque ambiguam esse. Nam addit: „*quodsi quis obscure vel ambigue locutum esse poetam dicat, propterea quod Phoebe etiam pro nomine Deae haberi possit: satis Cato ne hoc fieret, cavit, dum per epexegesin et in cumulum addit: atque aureus orbis*“.

At me quidem iudice absurdum est in eodem enuntiato eandem deam et Graeco et Latino nomine appellari atque altero versu deam significari, altero stellam ipsam. Accedit quod desideratur, ut versus 38—39 et 40 quendam in modum inter se contrarii sint, quod ex Naekii lectione minime apparet.

Quam ob rem Ribbeckius, Hauptius, Baehrensius illum locum coniecturis sanare conati sunt. Sed tres illi viri in hac re maxima audacia usi nimis a codicibus recedere mihi videntur, quam ut illis assentiri possim. Hauptii coniecturam, quam in Hermae tom. VIII (1874) p. 13 proposuit:

„*Sidera per viridem cedunt cum pallida mundum*
Inque vicem Phoebus currens redit aureus orbi“

Baehrensius optimo iure reiecit, cum per noctem Luna cum suo esset, non per diem, ut Hauptius vellet.

Ribbeckius ita scribit:

„*Inque vicem Phoebi currus fugat aureus orbis*“

Verba „*aureus orbis fugat Phoebi currus*“ quaesita quidem sunt, sed tamen sententiam exhibent, at vox „*invicem*“ in hoc sententiarum conexu vix vera mihi videtur esse.

Eodem vitio laborat emendandi conatus Baehrensii, qui ita legit:

„*Inque vicem Phoebus currens cadit aureus undis*“.

Huc accedit, quod Baehrensius, ut in coniecturis faciendis modum non adhibet, a codicibus nimis recedit.

Non tantum, quantum illud Baehrensii, a libris manuscriptis abest, quod Rothsteinius legendum proponit:

„Inque vicem Phoebi currens cadit aureus orbis“,

sed equidem leviorem medicinam adhibens hunc locum difficilem sanare velim. Lego enim totum locum ita:

„Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum
Inque vicem Phoebus currunt atque aureus orbis
Luna tuus tecum est: cur non est et mea mecum?“

Germanice: *„Wenn die bleichen Gestirne über die grüne Erde hin (auf die grüne Erde) zurückkehren und an ihre Stelle Phoebus und sein goldener Kreis eilen, dann Luna ist der deinige bei dir: Warum ist nicht auch die meinige bei mir?“*

Ad probandam hanc interpretationem nonnulla addenda sunt. Vox *„invicem“* significat *„an die Stelle“*. *„Vicis“* saepe adhibetur pro substantivo, quod est locus, cum significamus substitutionem alius rei pro alia (cfr. Forcellini s. v.). Simili modo usurpatur. Colum. 5, 6: „Primam quamque (arborem) senio afflictam submoveat et in vicem novellam subolem substituat.“

Cum sidera pallida ex Oceano emergunt, sol in mare immergit et tum Luna amatorem secum habet. *„Phoebus atque aureus orbis“* poeta Hendyadyos figura usus posuit pro *„Phoebi aureus orbis“*.

Jam vero si quis quaerat, quos amores poeta Lunae dicat, Naekii libri pag. 165 inspiciat, ubi doctissimus ille vir magna digressione exponit neminem alium fuisse quam Endymionem, de quo veteres poetae multa cecinerunt.

vv. 43—46.

Versus 43—46 codices unanimi fere consensu ita tradiderunt:

„Phoebe gerens in te laurus celebravit amorem
Et quae pompa deum nisi silvis fama locuta est
Omnia vos estis secum sua gaudia gestat
Aut insparsa videt mundo quae dicere longum est“.

Ad hunc locum sanandum viri docti diversissimas ingressi sunt vias. Atque primum quidem in versu 43 Scaliger scripsit:

„Phoebe geres in te laurus, celebrabis amorem“.

Sed cum neque tempus futurum aptum sit neque coniunctione carere possimus, emendandi illius viri conatus reiciendus est. Omissis ceteris priorum editorum coniecturis quae nihil proficiunt, ad Naekii lectionem transeamus, qui pro *„gerens“* posuit *„recens“*, quod epitheton Baehrensius suo iure recepit. Nam haec mutatio et lenissima est et probabilem praebet sententiam. *„Laurus recens“* Germanice: *„der frisch aufspriessende Lorbeer“* cum ad infelicem Apollinis in Daphnen amorem, quem Ovidius in Metam. I, 452—565 celebravit, pertineat, locupletissimus deorum amoris testis est.

Ribbeckii transmutatio:

„Phoebe, geris quam tu laurus celebravit amorem“

nimis est arcessita, quam ut ei adstipulari possim.

Infelicissima esse mihi videtur explicandi ratio Rothsteinii, qui traditam scripturam

„gerens in te laurus celebravit amorem“

fortasse ita intellegi posse censet, ut significetur eum qui ad Apollinem laurus ferat, ea ipse re eius amorem celebrare. Tali interpretatione meo iudicio in codicum lectionem sententia infertur, quae multo obscurior est quam verba ipsa. Primum enim, quis ille vir sit, qui laurus ad Apollinem ferat, non intellego. Praeterea, quantum video, sententiarum conexus postulat, ut hoc quoque versu de deo agatur.

Ex versibus 44—45 interpretes variis modis bonam elicere sententiam studuerunt. Longum est in hoc difficili loco omnia virorum doctorum emendandi conamina enumerare.

Naekius paulo tantum a tradita scriptura recessit, cum pro *„nisi“* (*„H“* *„non“*) scripserit *„nam“*. Quam coniciendi rationem his verbis probare studet: *„(Cato) in medio parenthesin inserit, qua significat deserta, solitudines, silvas vidisse illos claudestinos deorum amores puellarumque in nova corpora mutationes, hoc modo: silvis fama locuta est: omnia*

vos estis i. e. sciunt silvae: mutatae estis vos, puellae, in omnia".

Sed Naekius traditis verbis sententiam subiecit, quam omnino non habent. Quo modo enim poeta puellas amatas, quas dei in arbores, flores, alia mutaverunt hoc loco alloqui potuerit, mihi plane obscurum est.

Nimis discrepat a codicibus Ribbeckii lectio:

„. . . *(nisi silvis fama locuta est*
Somnia pro veris)"

Quam ad coniecturam in tertio prolegomenon capite adnotat haec: „*Mihi id maxime propositum fuit, ut orationis quasi filum continuarem et quae verbis ‚nisi fama locuta est' manifesto flagitantur supplerem v. 45, ubi quae tradita sunt servare nemo potuit*".

Sed tali modo, ut tria verba omnium librorum consensu firmata (omnia vos estis) cum vocabulis aliis („*somnia pro veris*") mutaret, filum continuare Ribbeckio certe non licebat.

Venio ad Baehrensium, qui totum locum ita legit:

„*Et quae pompa deum (nisi vilis fama locuta est*
Somnia) nunc sertis secum sua gaudia gestat".

Sane mutatio „*silvis*" in „*vilis*" lenissima coniectura est et bonam sententiam praebet. Sed longe aliter res se habet in verbis „*nunc sertis*", quae magnopere a codicum lectione „*vos estis*" distant. Accedit quod vocabulum „*sertis*" in sententiarum conexum non quadrat, cum deorum, qui „*sertis secum sua gaudia gestant*", quantum equidem scio, nullius praeter Apollinem mentio fit.

Rothsteinius codicum scripturam servare non dubitat. Nam docto illi viro verba

„ . . . *nisi silvis fama locuta est*
Omnia vos estis"

parenthesis loco posita esse videntur, quibus fortasse doctrina, quae omnia deorum plena esse tradatur, vera esse a poeta dicitur, nisi mero hominum priscorum qui in silvis habitabant, rumore tota de diis fabula ficta sit. Cum autem in verbis

„nisi silvis fama locuta est“ vim, quam Rothsteinius eius tribuit, inesse persuadere mihi non possem et praeterea verba *„omnia vos estis“* non sine offensione essent, diutius de hoc loco cogitanti mihi aliud remedium quaerere visum est.

Baehrensii coniectura, quam et satis lenem et sententiae aptissimam esse supra iam dixi, recepta in versu qui sequitur pro *„estis“* scribere *„nostis“* mihi placuit ita, ut totus locus sic evadat:

„Et quae pompa deum, nisi vilis fama locuta est,
— Omnia vos nostis — secum sua gaudia gestat“

vernaculo sermone: *„Und welch eine Schar von Göttern führt, wenn nicht ein eiteles Gerücht gesprochen hat — ihr (Götter) wisst alles — ihre Freuden mit sich . . .“*.

Verbis *„omnia vos nostis“*, quibus poeta parenthesis forma usus deorum pompam alloquitur, in hac sententiarum conexu expressum est: Vos (dei) scitis, utrum fama vere locuta sit necne.

„Gaudia“ significant hoc loco personam vel rem, quae gaudium excitat Germanice *„Gegenstand der Freude, Lust“*.

Cfr. Ovid. epist. Sapph. 107:

„Per tibi, qui nunquam longe discedit, Amorem,
Perque novem iuro, numina nostra, deos,
Cum mihi nescio quis fugiunt tua gaudia, dixit,
Nec me flere diu nec potuisse loqui“.

Ovid. epist. 17, 43:

„Gaudia rapturo si quis tibi rumpere vellet
Aërios aditus, quo paterere modo?“

Qui plura discere vult de sententia illorum versuum, Naekii libri pag. 172—184 inspiciat.

vv. 47—49.

„Aurea quin etiam cum saecula volvebantur
Condicio similisque foret mortalibus illis
Haec quoque praetereo notum Minoidis astrum“

Sic versus in omnibus exstant codicibus. Qua scriptura

cum non intacta atque integra poetae verba reddi editores crederent, diversos emendandi fecerunt conatus.

Naekius antiquas editiones secutus versum 48 ita scripsit:

„*Conditio similis fuerat mortalibus illis*“

particula „*que*“, quam codices exhibent, deleta et post „*illis*“ puncto posito. Sed verbi huius enuntiationis tempus plusquamperfectum „*fuerat*“, quod vir ille doctissimus scripsit, cum perfectum aut imperfectum ex loci sententia desideretur, offensioni est.

Baehrensius particula „*que*“ omissa pro „*foret*“ coniecit „*fulsit*“, cuius verbi vim nimis hic translatam esse iudico.

Maiore sine dubio felicitate iam ante Baehrensium usus erat Ribbeckius, qui voce „*que*“ servata totum locum ita legit et distinxit:

„*Aurea quin etiam cum saecula volvebantur*
Condicio similisque fuit mortalibus illis,
Haec quoque praetereo“.

Cui lectioni cum propius ad codices accedat quam illa Baehrensii et sententiam satis probabilem efficiat, adstipulari non cunctarer, si omnino coniectura opus esse iudicarem. Sed hic ipse locus dilucide demonstrare mihi videtur, quantum a viris doctis peccetur, qui, si lectio paulo ab usitata dicendi ratione recedit aut minus eleganter expressa est, nullum scriptorem perfectum esse obliti statim medicinam aliquam adhibent, quo malum opinatum tollatur. De quo agimus loco nulla, quantum video, causa necessaria est, cur librorum scripturam corruptam esse censeamus.

Verbum „*forem*“ pro vacabulo „*essem*“ usurpari satis multa exempla docent.

Sed certe quispiam haeret in varietate modorum, cum in priore enuntiato a coniunctione „*cum*“ pendente indicativus („*volvebantur*“), in altero coniunctivus „*foret*“ positus sit. Qua re qui offenditur, inspiciat Draegeri libri, qui inscribitur „*Historische Syntax der lateinischen Sprache, Leipzig 1878*“, voluminis secundi paginam 551, ubi legitur: „*Der Modus*

wechselt sogar in zwei coordinierten Temporalsätzen ohne Wiederholung von cum: Cic. fin. 2, 19, 61 num etiam P. Decius, cum se devoveret et — in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Madvig nahm die Coniectur devoverat auf; Hoffm. erklärt den Coniunctiv auf S. 123. Liv. 29, 39, 8 cum ad tribum Polliam ventum est — et praeco cunctaretur ctt.". Conferas etiam de hac re „*Kühner, Grammatik der lateinischen Sprache II, pag. 891*".

Ad defendendam hanc varietatem in versibus, quos nos tractamus, fortasse licet addere, in priore enuntiatione indicativum suo loco esse, cum hic, ubi tempus definiatur, coniunctioni „*cum*" vis temporalis insit, cum in versu posteriore coniunctivus „*foret*" tempori qualitatem tribuat.

Quod ad interpunctionem attinet, Ribbeckius non vere distinxit, cum post „*illis*" comma poneret. Nam post „*illis*" enuntiatum, quod sequi debet, omnino deest. Itaque ut poetam aposiopesis forma usum esse significetur hunc locum sic interpungendum propono:

„*Aurea quin etiam cum saecula volvebantur,*
Condicio similisque foret mortalibus illis —
Haec quoque praetereo."

vv. 63—65.

„*Juppiter ante sui semper mendacia furti*
Cum Junone prius coniunx quam dictus uterque est
Gaudia libavit dulcem furatus amorem".

In versu 63 omnes editores praeter Baehrensium codicis Helmstadiensis lectionem „*furti*" receperunt, cum reliquorum librorum scripturam „*factus*" probabilem sententiam non efficiat.

Naekius de hoc loco, quem satis superque tractavit, dixit: „*Jungendum semper mendacia et sui furti dicitur pro suorum furtorum. Itaque eleganter, ut mihi videtur: tot enim numero furta fuerunt Jovis, ut quasi in uno continuo*

adulterioque fuerit. Quasi dicas: Vor den ewigen Täuschungen seiner Untreue".

Sed conexus verborum „*ante sui semper mendacia furti*", qui Graecorum dicendi rationem imitatur, etiamsi in Latino sermone elocutiones quales sunt „*semper mendacia*" inveniuntur, cum haec verba a praepositione „*ante*" pendeant, elegans certe non est.

Eodem mendo laborat coniectura Baehrensii, qui pro „*furti*" posuit „*vultus*" ut sententia sit: „*Vor den ewigen Täuschungen seiner Gestalt*". Nam aliam vim vox „*vultus*" hoc loco habere nequit. Accedit quod Baehrensii lectio certo codicum fundamento caret.

Equidem alia emendandi ratione locum sanandum esse censeo. Codicum lectiones „*factus*" et „*furti*", cum magis discrepent, quam ut librarii error statuendus videatur esse, alteram coniectura niti postquam mihi persuasi, Helmstadiensis scripturam „*furti*" ob eam ipsam causam, quod sententiam per se sanam praebet, sequi magnopere dubito.

A plurimorum igitur manuscriptorum lectione „*factus*", proficiscendum esse pro certo affirmem. Quam vocem leni mutatione emendo in „*fassus*" atque verbis „*sui semper mendacia fassus*" commate interclusis versus 63—65 sic legendos propono:

„*Juppiter ante, sui semper mendacia fassus,*
Cum Junone, prius coniux quam dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem".

Germanice: „*Vorher (vor mir) hat Juppiter, der immer seine Täuschungen eingestand, mit der Juno, ehe der Name Gatte beide verband, heimlich die süssen Freuden der Liebe gekostet*".

Ad probandam hanc lectionem nonnulla addenda sunt.

Quin voce „*mendacia*" poeta dicat mutationes, quibus Juppiter sua furta celabat et dissimulabat, dubium non est. Varias enim maxime animalium formas mentitus Juppiter mulieres amatas adiit et compressit.

vv. 66—68.

„Et mecum tenera gavisa est ludere in herba
Purpureos flores quos insuper accumbebat
Grandia formoso supponens gaudia collo“.

Quos versus corruptos ut emendarent, iam praecipuam viri docti dederunt operam, sed nondum ex omni parte sanati esse mihi videntur.

Primo suo iure omnes haeserunt in primi versus vocabulo *„mecum“*, quod vitio premi unicuique liquet.

Putschius pro *„mecum“* scripsit *„quocum“*, ita Adonem significari ratus quocum Venus exercuisset amores, dum Mars in armis, Vulcanus in officina esset. Quam ad vocem ex versibus praecedentibus praedicatum mente cogitandum esse iudicat. Sed magnopere me offendit haec explanandi ratio, cum verba illa *„cum Junone gaudia libavit“*, quae tota repetenda essent, non ex parte ut Putschius vult, ad hunc versum minime quadrent.

Neque minus reicienda est Naekii coniectura, qui scripsit:

„Et quicum tenera gavisa elidere in herba
Purpureos flores . . .“

cum verbum *„est“* hoc loco deesse non possit, quod participio *„gavisa“* additum enuntiationis relativae verbum est.

Ribbeckius lectionem recepit, quam Lachmannus ad Lucret. V 1001 proposuit:

„Et mare cum tenero gavisa est laedere in herba
Purpureos flores . . . .“

Coniectura *„et mare cum tenero“* pro *„et mecum tenera“* facilis est et optima omnium, quae adhuc a viris doctis sunt prolatae.

Multo aliter iudicandum est de mutatione a Cantero facta vocis *„ludere“* in *„laedere“*, quam minime probo. Dea enim non gaudet laedere flores purpureos, sed accumbere amatori. *„Ludere“* autem saepissime de amatoribus usurpatur: Catull 17, 17:

„Ludere hanc sinit ut lubet . . .“

Eiusd. 61, 211:

„Ludite ut lubet, et brevi
Liberos date . . .“

Eiusd. 68, 156:

„Et domus, in qua nos lusimus et domina“

Ovid. ars. am. II, 389:

„Di melius! vix hoc nupta tenere potest.
Ludite: sed furto celetur culpa modesto“.

Tibull. I, 3, 63:

„Ac iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit: et assidue proelia miscet Amor“.

Simili modo canit Horatius libr. III carm. 12 initio:

„amori dare ludum“.

Venio ad Baehrensii coniecturam, quae ad codices sane proxime accedit, sed si sententiam spectamus, vix est perferenda. Baehrensius enim totum locum ita legit et distinxit:

„Et moechum tenera gavisa est laedere in herba
Purpureos flores quos insuper accumbebat,
Bracchia formoso supponens Cypria collo
(Tum credo fuerat Mavors distentus in armis;
Nam certe Vulcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba)“.

Poetam nunquam illud *„moechum“* scripsisse unicuique liquebit, qui sententiarum conexum accuratius inspexerit. Poeta enim, cum supra v. 39 sq. amavisse deos deasque cecinerit, quo se ipsum amare fructuque amoris potiri comprobaretur, hoc loco deorum exemplo excusat, quod ipse suae puellae pudorem violaverit. Itaque amatorem appellari *„moechum“*, quo verbo id, quod poeta fecit, damnatur, a tota sententia abhorret. Quod Baehrensius versus 69—71 uncis rotundis conclusit, meo iudicio supervacaneum erat.

In versu 68 emendando omnes editores recentiores summa audacia usi sunt, cum Naekii coniecturam secuti pro *„grandia“* ponerent *„bracchia“* et pro *„gaudia“* *„Cypria“*.

Rothsteinius poetam metaphora sane audacissima ipsum Veneris corpus vel bracchia verbis *„grandia gaudia“* signifi-

casse credit. Talis autem metaphora, qualis doctissimus ille vir vult, absurda est et ad Tellurem cum Caelo ludentem multo aptior, quam ad Venerem, venustatis deam.

Ex his quae attuli, quantopere de quo agimus locus difficilis medicina adhuc egeat, satis apparet. Itaque liceat mihi quoque remedium proponere. Omnes qui versus 66—69 legunt, eo offenduntur, quod subiectum deest verbi „*gavisa est*“. Cum autem ex versibus 69—71, ubi de Marte et de Vulcano sermo est, poetam de amoribus agere eluceat Veneris, nomen illius deae inferendum est. Tum etiam desideramus verbum, a quo accusativus „*purpureos flores*“ pendeat, cum illud „*ludere*“ retinendum et coniungendum esse cum verbis „*et mare cum tenero*“ iam supra demonstraverimus. Itaque post versum 66 lacunam esse statuendam puto, in qua subiectum enuntiationis et verbum, quocum illud „*purpureos flores*“ coniungendum est, expressa erant. Quamquam enim in codicibus ipsis nihil vestigii invenimus, quo unum versum excidisse appareat, tamen neque probabilem sententiam neque verum verborum conexum efficere possumus, nisi lacunam ponimus. Quibus autem verbis illam expleamus certo dici nequit. Fortasse inter alia verba exciderunt subiectum „*alma Venus*“ et alterum praedicatum „*pressit*“.

Quod ad versum 68 attinet, ego lectionem antiquarum editionum:

„*Candida formoso supponens bracchia collo*“

in verborum contextum recipere non dubito, cum ad codices multo propius accedat quam recentiorum.

Lego igitur atque interpungo totum locum ita:

„*Et mare cum tenero gavisa est ludere in herba*
⟨*Alma Venus pressitque . . .*⟩ ,
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Candida formoso supponens bracchia collo“.

vv. 69—71.

„*Tum credo fuerat Mavors distentus in armis*
Nam certe Vulcanus opus faciebat et illi
Tristi turpabatque mala fuligine barbam“.

Haec omnium manuscriptorum lectio est, nisi quod pro „*turpabatque*“ Bembini, Parisini, Thuanei in Helmstadiensi traditum est „*turpabat*“, in Monacensibus „*turbabatque*“, quas scripturas librarii neglegentia exortas esse manifestum est.

Plus in hoc versiculo esse fuliginis quam in barba Vulcani Scaliger aliquando dixit eamque ita abstergere ei placuit:

„*Nam certe Vulcanus opus faciebat et illi*
Tristi turpabat malas fuligine barba“.

A viris doctis Scaligeri hanc coniecturam esse receptam magnopere miror. Nam praeterquam quod a librorum scriptura tribus locis mutatis nimis abhorret, etiam verborum sententia non ex omni parte vera mihi videtur, cum fuligo pariter haereat et in malis et in barba totamque faciem ipsa fuligo, non barba turpet. Accedit quod versus pessimis numeris componitur.

Haec omnia Rothsteinius cognovit, cum scriberet:

„*Nam certe Vulcanus opus faciebat et igni*
Tristi turpabatque mala fuligine barbam“.

Mutatio traditae scripturae „*illi*“ in „*igni*“ sane facilis est, sed illud adiectivum „*tristi*“ qualitatem tribuit „*igni*“, quae vix ferenda esse mihi videtur.

Equidem a codicibus tantopere recedere nolo. Dativo „*illi*“ in nominativum „*ille*“ mutato reliqua verba integra retinens totum locum ita legendum propono:

„*Nam certe Vulcanus opus faciebat, et ille*
Tristi turpabátque mala fuligine barbam“.

Germanice: „*Denn sicherlich war Vulcan mit einem Kunstwerke beschäftigt, und er beschmutzte mit dunkelem und hässslichem Russe den Bart*“.

Particulam „*que*“, quae quod ad sententiam spectat coniungenda erat cum „*mala*“, poeta adiecit verbo „*turpabat*“, ut in Tibull. I, 3, 56:

„*Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,*
Messalam terra dum sequiturque mari“

positum est „*terra sequiturque mari*“ pro „*terra marique sequitur*“.

Pronomen „*ille*“ igitur ad Vulcanum ipsum pertinet, ut saepius substantivum praecedens hoc pronomine recipitur.

Cfr. Propert. I, 20, 49:

„*Cui procul Alcides iterat reponset: at illi*
Nomen ab extremis fontibus aura refert“.

Ovid. epist. XVI, 229:

„*Saepe mero volui flammam compescere: at illa*
Crevit et ebrietas ignis in igne fuit“.

Ovid. Metam. I, 283:

„*Ipse tridente suo terram percussit: at illa*
Intremuit motuque vias patefecit aquarum“.

Eiusd. carm. X, 457:

„*Iamque fores aperit, iam ducitur intus: ad illi*
Poplite succiduo genua intremuere“.

vv. 76—77.

„*Infelix ego, non illo qui tempore natus*
Quo facilis natura fuit“.

Quamquam in versu 77 omnia expedita sunt, neque codices quidquam varietatis afferunt, tamen apud Baehrensium pro „*facilis*“ legitur „*felix*“. Cur vir doctus de codicum scriptura (sc. „*facilis*“) in apparatu critico plane taceat hoc loco, equidem nescio. Sine dubio Baehrensius legit „*felix*“, ut hoc vocabulum voci „*infelix*“ versus 76 contrarium esset. Sed tale quid cogitare, cum codices aliud exhibeant, quod satis est probabile, critici certe non est. Verbis „*facilis natura*“ poeta non fortuito, sed consulto usum esse persuasum habeo, cum eius disputationis finem faciat, quae incepit a versu 37:

„*Cur non et nobis facilis natura fuisti?*“

Accedit quod poeta huius carminis suas ipsius locutiones haud raro diversis locis repetit. Cfr. Naekium de poesi Cat. pag. 278.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR:

QUAESTIONES CRITICAE
AD DIRAS ET LYDIAM PERTINENTES

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. XVI. KAL. FEBR. A. MDCCCXCV HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

IOANNES PETRY
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

FRIDERICUS HELLWIG, CAND. PHIL.
HERMANNUS LIESE, STUD. PHIL.
PAULUS DEMLING, SEM. PHIL. REG. SOD. ORD.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCV.

Theses.

I. Tibull. III, 2, 24 Hiller a codicis A scriptura „dives“ sine iusta causa recedit.

II. Demosthenis orationis quae *κατὰ Κόνωνος* inscribitur § 9 primam sententiam ita conformaverim: *καὶ τὰ μὲν ἄλλα καὶ βλασφημίαν ἔχει τινὰ καὶ ὀνομάζειν ὀκνήσαιμ' ἂν ἐν ὑμῖν [ἔνια]·*

III. In Soph. Trach. v. 196 pro *τὸ γὰρ ποθοῦν ἕκαστος* lego *τὰ γὰρ ποθεῖν' ἕκαστος.*

IV. Verbis „quibusque in senatu dicere sententiam liceret“ (Liv. XXIII, 32. XXXVI, 3) significantur omnes ei, qui magistratus erant quibusque, dum munere publico fungebantur, in sententiam discedere non licebat.

V. Vox „pedarii“ certum senatorum ordinem non significat, sed iocose usurpata est de eis senatoribus, qui, cum eis dicendi facultas deesset, pedibus tantum in sententiam ibant neque verba faciebant.

Vita.

Natus sum Ioannes Petry in oppido Rhenano quod vocatur St. Wendel prid. Non. Dec. anni huius saeculi LXVIII patre Roberto, matre Maria, de gente Kiefer, quos integris adhuc viribus uti valde gaudeo. Fidei adscriptus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus per unum annum frequentavi gymnasium Thomaeum Kempense. Tum per octo annos gymnasii Cliviensis discipulus fui, quod directoris H. Liesegangii, pia semper memoria colendi, auspiciis adhuc floret. Testimonio quod vocant maturitatis vere a. h. s. XC instructus sum. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per septies senos menses hic, per bis senos menses Berolini studiis philologicis operam dedi. Monasterii scholas frequentavi V.V.D.D. Langen, Stahl, Storck, Hagemann, Spicker, Niehues, Kaufmann, de Below, Milchhoefer, Körting, Mettlich, Kappes, Hosius, Drescher. Berolini me docuerunt V.V.D.D. Vahlen, Kirchhoff, Diels, Curtius, Weinhold, E. Schmidt, Geiger, Paulsen, de Treitschke, Scheffer-Boichhorst, Köhler, Zeumer, E. Liesegang.

Exercitationibus ut interessem summa liberalitate permiserunt Vahlen et Hosius philologicis, Storck germanicis, Milchhoefer archaeologicis, Spicker philosophicis.

Langeni et Stahlii egregia erga me benevolentia factum est, ut in seminarium regium philologicum reciperer, cuius sodalis ordinarius bis senos menses fui.

Omnibus viris qui me docuerunt gratias ago quam maximas.